

DEDICATIO.

rant! O contrà felicissimos illos, qui didicerunt suam ignorantiam non ignorare! Hi enim morbum suum agnoscunt, ideoqz investigant omni conatu remedium. Ex his efficitur, scriptores cordatos (de iis enim mihi sermo) esse mancipia investigationis, ut sint liberi comites veritatis, quam adepti, à morbo Epidemico, quem insciati dicimus, convalescunt. Quòd si ita est, profectò inscitiâ compelluntur ad scribendum. Dum enim vident se circumseptos tenebris, investigant modum elabendi: dum investigant, ignorant, adeoqz hoc agunt, ut sciant: scire cupiunt, ut fratres ignorantiae, quemadmodum vulgus, vel inscitiæ filios, ut philosophus ait, ex isto cœno liberent. Magnas itaqz gratias divæ isti potenti INSCITIÆ habere oportet, utpote matri solidioris scientiæ. Non tamen inscitia, quâ talis, tam generosam filiam parere potest, sed quâ cognita. Quare quando dicimus, inscitiæ compellere viros bonos ad benè merendum de bonis, sensum inscitiæ & imperfectionis notamus, atqz, ut ita dicam, scientiam propriæ inscitiæ. Hoc cùm in reliquis disciplinis, quas cyclopædia in se complectitur, tum maximè in ocello illo artium, Logicâ, pleniùs cognoscendâ verum esse deprehendi. Inscitia mea me computat ad systema hoc quale-quale communicandum cum iis, qui memineurnt se esse homines, hoc est,

): (ij